



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 44. Illustrium Perfonarum obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

ministros constitutis annuis redditibus Sæc. XVII.
 ad hosce labores seligi præcepit: Au- A. C. 1622.
 thor hujus relationis fingit, quod Ro-
 manæ Congregationis de Propaganda fide
 gloriam plurimum imminuat necessitas, quæ
 ejus Novitii ad omnes regiones, quocunque
 eorum Superiores voluerint illos mittere,
 ire cogantur: Nos, inquit ipse, resor-
 mati cæcam hanc obedientiam ignoramus,
 nec mirum: non enim sapiunt, quæ
 sunt Spiritus, suæ sensualitatis manci-
 pia: eodem spiritu actus idem auctor
 addidit, quod Societas hæc, ut Mis-
 sionem dulciorem redderet, cuilibet Mis-
 sionario unius anni pensionem, sive
 vivat sive moriatur, certam reddere,
 & anticipate illius medietatem solvere
 promittat: En novos Apostolos ad nor-
 mam Christi Apostolorum egregie
 compositos?

§. XLIV.

Illustrium Personarum obitus.

Non paucos ex Præsulibus, & Im-
 perii Principibus hoc anno non
 tam vivorum consortio, quam funestis
 hujus ævi calamitatibus opportuna mors
 eripuit. His merito accensendus venit
 Joannes Godefridus de Aschausen Her-
 bipolensis juxta & Bambergensis Ec-
 clesiæ Episcopus, qui quinque illis an-
 nis,

*Meteran.
 Hist. Belg.
 l. 42. p. 398.
 Vid Supra
 l. 192. §. 38.
 pag. 505.*

Ll 5

nis,

Sæc. XVII. A. C. 1622. nis, quibus Ecclesiæ suæ verbo & exemplo præluxerat, a rebellium copiis crudelem in modum rapinis, exactionibus, & incendiis vexabatur, eoquod pro debito in Cæsarem obsequio exercitum contraxisset: Ea enim ævi illius iniquitas erat, ut Cæsari, suoque legitimo Principi fidum esse, apud Sectarios crimen esset. Ad avertendas hæc calamitates hicidem Præsul ac Franconiæ Dux ad Imperii comitia a Cæsare indicta Ratisbonam accesserat, ubi tamen gravi morbo correptus die vigesima nona Decembris animam Deo reddidit, magno rei Catholicæ detrimento, quam semper accerrime defendit, verus militum Pater, Sacerdotum norma, Principum decus, Catholicorum Tutor, Ecclesiæ Cæsarisque vindex. Pariter vexationes, quibus a Brunsvicensis & Mansfeldii militibus cruciabatur, non nisi morte evasit Joannes Fridericus a Swaibach Abbas Fuldenis, qui octava Decembris defunctus Successorem habuit Joannem Bernardum Schenck a Schweinsberg priori multum absimilem; hic enim subditis suis liberum Religionis exercitium indulsit. Die autem vigesima quinta Januarii maligna febris consumptus decessit Nervixæ Carolus Sueciæ Dux: Mense Decembri

cembri Almanus Barbarus Aquileiensis Sæc. XVII.
 Patriarcha Venetiis obiit, ejusdem A. C. 1622.
 que Mensis die septima Sophia Saxo-
 niæ Electoris vidua, ac Joannis Geor-
 gi Electoris Mater Dresdæ mortalita-
 tem exiit. Denique Deo & naturæ
 debitum solvit Magnus Ordinis Meli-
 tentis Magister Adolphus Vignacurtius,
 qui Magistratui suo, quem per viginti
 ferme duos annos tenuit, sanctitate,
 prudentia & fortitudine plus gloriæ
 reddidit, quam honoris ab eo accepit.

§. XLV.

*Constitutiones Diæcesanæ Treviren-
 ses a Lothario Episcopo
 editæ.*

Reboantibus undique belli tormentis, Schanat.
 ipsaque Trevirensi Diæcesi bellicis Concil.
 tumultibus undique agitata, Lotha- Germ. t. 4.
 rius dignissimus Trevirensis Ecclesiæ
 Archiepiscopus, ac S. R. J. Elector pro
 universa sua Diæcesi saluberrimas edi-
 dit constitutiones (*), eo fine ut Divi-
 næ

(*) Mirum omnino nobis accidit, quod de
 celeberrimi hujus Præfulis Zelo ejusque Con-
 stitutionibus, necnon oratione pathetica illis
 præmissa, quæ tamen sibi in collectione Con-
 cilliorum Germanorum locum promeruerit,